

Ecclipsis distat à Zenith caputum, deinde ab Almuri ducatur linea perpendicularis, & ubi ceciderit filum super lineam chordarum, nota locū non cōputando à radice fili, ipsa erit corda recta arcus quęliti uel chorda anguli occidentalis.

¶ In proposito exemplo pono Margaritam fili limbi super 46 gradus cum una tertia, numeroq; in arcu A B 50 gradus distantiae loci eccliptici à zenith, & à Margarita descendens perpendicularis indicat anguli occidentalis quantitatem in linea chordarum graduū, 36 ferè graduū, cuius arcus est 84 graduum.

¶ Diuersitatem aspectuum Solis & Lunæ in circulo altitudinis ad tempus Ecclipsis Solaris capere.



APPLICA filum centri ad lineam minorum casus & morę, in figura ecclipsis Lunæ, & pro diuersitate aspectus Solis Almuri primum super maximam diuersitatem aspectus Solis, quæ est duo minuta, 52 secunda, computando à centro uersus A uel C, semper pro 6 minutis, 30 secunda & Almuri illud Solis cadet super 34 minuta casus, & 25, secunda ferè, & ibi erit maxima diuersitas aspectus Solis, scilicet, duo minuta & 52 secunda. Et pro diuersitate aspectus Lunæ pone secundum Almuri su per 64 minuta à centro computando sicut prius. Deinde pone idem filum cum Almuri duobus super punctum B, id est super lineam exentem à centro uersus B, & ipsum filum moue uersus G A lineam in circulo argumenti Lunæ secundum quantitatem distantiae gradus Lunæ à zenith notæ, id est, per tot gradus & numerum moue filum in circulo argumenti Lunæ, quot gradus sunt à zenith usq; ad gradum Lunæ siue datum punctum in eccliptica. Et super quam lineam de lineis transversalibus descendentes, orthogonaliter lineam minorum casus secantibus Almuri pro Sole locatum ceciderit illa linea in linea minorum casus ostendit, numerū diuersitatis aspectus Solis præsentem, computando à radice fili, ut prius, capiendo scilicet pro 6 minutis casus 30 secundis, uel pro quolibet minuto casus 5 secunda. Et filo adhuc sic iacente, uide super quam lineam de lineis orthogonalibus prædictis almuri pro Luna locatum, ceciderit illa linea in linea minorum casus, ostendit numerum diuersitatis aspectus Lunæ in circulo altitudinis, computando à radice fili secundum quod ibi minuta scribuntur. Deinde subtrahe diuersitatem aspectus Solis iam inuentam à diuersitate aspectus Lunæ iam inuentam, & quod fuerit residuum tenebis pro diuersitate aspectus Lunæ in circulo altitudinis, ac cum ea ut inferius dicetur operare.

¶ Exempli causa, filum centri in instrumento Lunæ dirigo ad lineam G B, & unam margaritam pono ad 64 minutum, alteram uero ad 34,

& 24